



## CONGREGATIO GENERALIS II

16 octobris 1962

1

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

*Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,*

Habeatis me excusatum si nimis audax sum vobis aliquam propositionem faciendo, quae eo tendit ut labores electionum quam citius concludantur. Nam iuxta ea quae praevidentur si hac methodo, quae iam statuta est, procedemus, certe ludi electorales non finient nisi proxima hebdomada. Vellem vobis proponere ut hac hodierna suffragiorum collatione res finiatur. Et hoc puto esse gratum tum praesidio qui sublevatur a multis praeoccupationibus, tum secretariae centrali, tum omnibus Patribus, qui cogitant esse deveniendum quam citius ad veros labores nostri Concilii, scilicet ad studium Constitutionum propositarum, eo vel magis quod nimis terere tempus in his electionibus producet tempus Concilii cum damno dioeceseon, quae sunt sine pastore, et cum damno oeconomico etiam, praesertim eorum qui non habent multam pecuniam ad sustinendas expensas commorationis romanae.

Quomodo igitur potest procedi? Simplicissimo modo. Quodam « panache »: colligantur vota candidatorum quae recipiunt pro qualibet commissione, v. g. si quis in prima commissione habuit 500 suffragia, in secunda 200, in tertia 80: totaliter 780 suffragia. Postea sumantur 160 nomina eorum qui maioritatem votorum receperunt. Non est necessarium habere maioritatem absolutam; sufficit relativa. Iam est satis democraticum. Nos inter nos habuimus permutationem consiliorum; variae congregationes factae sunt a conciliis seu a conventibus nationalibus. Iam omnes parati sumus ad dandum suffragium. Inutile est hoc repetere bis vel ter. Igitur, quando 160 nomina eorum, qui maioritatem suffragiorum relativam susceperunt, collecta sunt, postea assignabuntur commissiones istis 160 personis; assignabuntur commissiones in quibus maiorem numerum suffragiorum receperunt, v. g. qui recepit maiorem numerum suffragiorum pro tertia vel quarta commissione, assignabitur illi commissione.

Haec methodus est valde democratica, quia habetur sic ratio etiam



votorum seu suffragiorum disperditorum; etiam unius voti habetur ratio. Omnia vota habent suam efficaciam.

Igitur propono ut per aliquod tempus, per quaedam momenta (decem momenta), suspendatur conventus et consilium seu praesidium discutiat omnia, utrum velit suffragio supponere hanc propositionem, qua possimus, si acceptabitur, laeti et contenti versus meridiem pergere domus nostras eo quod labor electionum sit finitus. Suffragium potest fieri facillime, quin teratur tempus nunc ad acceptandam vel respuendam propositionem. Sufficit quod praeses dicat: qui acceptat propositionem factam ab humili servo vestro Ottaviani attollat manum, et postea ex complexu eorum, qui attulerunt manum, potest fieri calculus approximativus utrum propositio sit approbata. Dixi.

## 2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. ROBERTI

*Em.mi ac rev.mi Patres,*

Nullam habeo difficultatem ut acceptem propositionem factam ab em.mo card. Ottaviani, eo vel magis quod, ut ipse notavit, S. Concilium est supra ordinamentum seu ordinationem de Concilio Oecumenico, quia norma proposita est contra ea quae dicta sunt in « Ordine Concilii celebrandi ». Proinde nulla difficultas potest oriri ex hac parte.

Nihilominus velim notetis in hac condicione maioritatem relativam praevalere prae absoluta. Iuxta Codicem requiritur maiortas absoluta ut habeatur electio, et tantum post duas suffragationes potest sufficere maiortas relativa, quia potest accidere e. g. hoc exemplum: unus habet tria vota, quinque habent unum votum; praevalet ille qui habet tria vota, maiortas relativa. Sed fieri potest ut ego, si censerem: ego sum contrarius illi qui habuit tria vota, ego sum unus ex illis qui dederunt unum votum alii personae; ergo potest fieri ut ego in hac hypothese nolim eum qui recepit tria vota, sed malim eum qui recepit unum votum, et hac ratione possunt ratiocinari etiam ceteri quinque. Unde fieret ut quinque contrarii deberent subire electionem factam a tribus. Proinde Codex sapienter statuit ut tantummodo post duas suffragationes, quando scilicet non est amplius spes obtinendi maiortatem absolutam, sufficiat relativa.

Ceterum, ut evidens est, accepto, quaecumque decisio possit accidere. Finivi.



## 3

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI  
*Archiepiscopus Panormitanus*

Existimo, em.mi, exc.mi et rev.mi Patres, non posse nos nunc statim mutare quod iam statutum est cum approbatione Summi Pontificis. Propterea votatio fiat, et conclusio votationis submittetur beneplacito Sancti Patris, Summi Pontificis. Nam illa supputatio relativa poterit esse approbata a Summo Pontifice, sed debemus nos remittere ad decisionem Summi Pontificis, quia normae, quae nobis iam propositae sunt, a Summo Pontifice sunt approbatae. Non puto nos nunc statim illas normas mutare sine Summo Pontifice. Propterea tempus non teritur si votatio statim fit, et fit prouti nos volumus ut fiat. Singuli liberi sunt in votatione facienda. Deinde supputatio poterit esse statuta, definita a Summo ipso Pontifice, qui poterit mutare normam et statuere esse sufficientem maioritatem relativam, sicut em.mus Ottaviani iam proposuit.

Hoc dico non nomine meo sed nomine praesidentiae.

*Praeses card. TISSERANT:*

Non possumus mutare quod Sanctus Pater approbavit, et tantum post permissionem Summi Pontificis aliquid mutari potest.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis:*

Audiant omnes! Consilium praesidentiae statuit suffragationem esse faciendam sicut praescriptum est. Facta suffragatione, postulatum em.mi card. Ottaviani deferetur, si necessarium sit, ad Summum Pontificem.

Antequam ad suffragationem procedatur, gratissimum est huic coetui communicare Sanctissimum Dominum elegisse quattuor subsecretarios Concilii Oecumenici, i. e. exc.mos Patres DD. Casimirum Morcillo González, arch. Caesaraugustanum, Ioannem Villot, arch. tit. Bosporanum, coadiutorem Lugdunensem, Ioannem Iosephum Krol, arch. Philadelphiensem, Vilelmum Kempf, ep. Limburgensem.

Nunc proceditur ad suffragationem pro eligendis sodalibus omnium commissionum conciliarium. Rogantur Patres scribere clare et praecise nomen, cognomen et munus sodalium electorum; melius si id fiat literis maiusculis. Qui schedas iam confecerit et definitivas habuerit, potest tradere secretariae et hanc sacram aulam relinquere. Qui autem praefert schedas domi conficere, id potest, dummodo tamen eas tradat secretariae Concilii (in via Serristori 10), manu, non per tabellarios, ante horam 18 huius vesperis.



Repeto. Qui schedas iam confecerit potest tradere et abire. Qui autem praefert schedas domi commodius conficere, satis est ut eas tradat secretariae Concilii (Via Serristori 10) ante 18 horam huius vespertis, manu et non per tabellarios.

Eligi possunt omnes Patres S. Concilii, iis exceptis, qui partem iam habent in organis iam constitutis, exceptis etiam secretario generali et subsecretariis. Subsignatio schedae non est necessaria.

Rogat consilium praesidentiae omnes Patres ut in suffragiis exprimendis a plausu se abstineant.

Denique: ordo agendorum, aut rerum agendarum in Concilio, communicabitur a consilio praesidentiae quinque diebus ante tractationem schematis, ita ut triduo ante ipsam tractationem possint Patres suas animadversiones communicare, prout in *Ordine* statutum est. Proxima hebdomada disceptatio incipiet, iuxta id quod statutum est a consilio praesidentiae in coetu habito heri, a schemate *de sacra Liturgia*. Itaque qui volunt de hoc schemate disceptare, tradant suas animadversiones, sicut scriptum est in *Ordine*, qui adamussim observandus est, ante tres dies saltem a feria II proxima, si feria II incipiet, ut probabile est, disceptatio.

Iam dixi. Nostra communicatio repetetur praecipuis linguis vernaculis.

## 4

## EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Peto veniam ut possim aliqua adiungere. Ante omnia quod dixit secretarius, schedas votationum non esse subscribendas, est contra id quod est scriptum in prima pagina opusculi quod nobis datum est, et dicitur: *subscriptio*; et de cetero id est necessarium. Quomodo, praesertim si schedae adducendae sunt in locum secretariae generalis, quomodo authenticitas subscriptionum et votationum resultabit sine subscriptione Patris proponentis? Igitur mihi videtur id corrigendum esse.

Quod attinet postea ad propositionem, quam feci, ego bene intelligo non possumus nos mutare constitutionem ordinum factorum cum approbatione Summi Pontificis, sed ego bene scio Concilium fieri cum Petro et sub Petro; igitur hoc debebat bene intelligi, me non velle id mutare sine assensu Summi Pontificis.

Tertio, quod autem dixit em.mus card. Roberti, quod per maioritatem absolutam [*relativam*] fieri posse aliquam iniuriam iis qui sunt in minoritate, hoc dixit quod planum est in omnibus votationibus, in omnibus constitutionibus. In constitutionibus Statuum, fit semper pos-



sibilitas quod maioritas relativa vincat et non habeatur ratio minoritatis. Igitur non videtur cur facta sit haec difficultas.

Plaudo autem multo quod nobis detur facultas, in posterioribus suffragationibus, uti hoc opusculo possimus domi etiam, si postea repetendi sunt isti ludi electorales.

Igitur ego non volebam impedire votationem hodiernam, sed propositio mea erat ad habendum effectum quemdam ab hac votatione, quae hodie fit. Propositio mea erat pro resultatione istius votationis. Igitur intelligo quod haec votatio, suffragatio bis facienda sit iuxta id quod iam statutum sit, secus non haberemus etiam materiam disceptationis et electionis. Igitur non est difficultas ulla, quod acceptetur mea propositio, faciendo suffragationem hodiernam. Immo est necessaria suffragatio hodierna ut Summus Pontifex possit postea statuere utrum acceptanda sit propositio. Ceterum ego cogito Summum Pontificem gratum esse si Concilium dat ei aliquod consilium, quia potest tunc ipse Summus Pontifex petere quid cogitat Concilium de hac re. Ipse decidet. Sed aliqua suffragatio circa meam propositionem mihi videtur adducendam esse Summo Pontifici, ut ipse possit habere rationem eorum, quae ipsum Concilium seu ipsa collectio Patrum cogitat. Secus Summus Pontifex debet ipse decidere de una propositione facta ab uno cardinali quin sciat quid cogitaverunt alii.

## SECRETARII GENERALIS MONITI TRANSLATIONES IN LINGUAS VERNACULAS

### *Versio hispanica*

La votación se hará hoy como está establecido por el reglamento, y en todo caso se dará a conocer al Santo Padre la propuesta del Cardenal Ottaviani.

El Santo Padre recibió ayer a los miembros del Consejo de Presidencia y, escuchado su parecer, se ha dignado nombrar cuatro Subsecretarios, a saber: el Arzobispo de Zaragoza, Monseñor Morcillo González; el Arzobispo Coadjutor de Lyon, Monseñor Villot; el Arzobispo de Filadelfia, Monseñor Krol; y el Obispo de Limburgo, Monseñor Kempf.

Por mandato del Consejo de Presidencia, se procede hoy a la primera votación, para elegir los miembros de las diez Comisiones conciliares. Se ruega a los Padres que escriban claramente y con toda precisión el nombre, apellido y cargo de los miembros a quienes deséen dar su voto; háganlo, a hacer posible, con letras mayúsculas dibujadas. No es necesaria la firma en la votación.